

I. N. 7.  
DIATRIBA ACADEMICA,  
De

# CRIMINE LÆSI NUMINIS

*Quantum illud Rationis Lumine notatur,  
Quam*

Indultu Amplissimi Ordinis Phil.

In inclyta, quæ Aboæ est, Academia,

*Sub Celeberrimo Viro*

P R Æ S I D E,

D N. M. CHRISTIERNO

A L A N D R O,

Eloqv. Prof. Regio Ordinario.

*In Auditorio Majori ad diem 26 Januar.*

*Anni 1695.*

Candidorum luminibus, disputandam  
publice sisto

JOHANNES OLAI BERG/

Holmens. S. R. M. Stipend.

---

Impr. apud Jo. WALLIUM,

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO

DN. O L A O  
SVEBELIO,

S. S. Theol. Doctori celeberrimo,  
R. S. Archi-Episcopo Illumi-  
natissimo, Acad. Upsal. Pro-Can-  
cellario Magno, ibidemque Ec-  
clesiastici Consistorii Præsidi  
longe Eminentissi-  
mo;

MÆCENATIBUS *suis atque* PATRO  
*Et Charismata & omnia*

PATRIBUS ac DOMINIS,

DN. JOHANNI  
GEZELIO,

S. S. Theol. Doctori Consumma-  
tissimo, Diœcesios Aboënsis Epi-  
scopo Eminentissimo, Regiæ A-  
cademiæ Aboënsis Pro-Cancel-  
lario, Consistoriiq; Ecclesiastici  
ibidem Præsidi gravis-  
simo;

*NIS summis Cœlestiâ Spiritus San-  
que Sperari possunt bona!*

**M**agnam fateor meam auda-  
ciam, quod vobis Reveren-  
dissimi Patres, primitium hoc  
Musæ tenellæ libamen feram at-  
que consecrem; sed longe mayo-  
rem duco vestram facilitatem &  
favorem, quo Omnes Musarum  
Alumnos amplecti non dedigna-  
mini. Preces itaque supplices ad-  
moveo, sereno vultu, ut soletis,  
hocce, devoti animi mei indici-  
um intueamini & accipiatis, nec  
non gratiam Vestram insignem  
in me prorogare ne minuatis.  
Meæ erunt votivæ æternum  
preces ut DEUS T. O. M.  
Vos Reverendissimos Patres ad  
mul-

multos, dum annos quam felicif-  
sime vivere & florere jubeat!  
quô de maxime insigni Opera  
Vestra gratulentur sibi diu Eccle-  
sia, Resque Litteraria, Vestri O-  
mnes, atque in Vestris observan-  
tissimis,

Reverendissimi in CHRISTO Patres

Ego

*Clientis humilimus*

JOH. BERG

In Dissertationem,

DE  
*Crimine Laese Majestatis Divinae,*

Litetatissimi & Humanissimi

JUVENIS,

D. N. JOHANNIS

BERGII

*Amici eximie dilecti.*

**P**roh! tua fulmina si toties, DEUS al-  
me, vibrares,

Hæc quoties hominum crimina tetra-  
merent;

Aut dudum Tellus esset viduata colonis,

Aut jaculis dudum casta pharetra  
foret.

Es patiens: sed enim tempus gravi-  
tate rependis,

Quique luit fero, durius ille luet.

Hoc, nec me fallent præfagia, rite do-  
cebit,

Præfens Castalio pagina rore scatens

*Festinus scribebat*

TORST. RUDÉEN.



Χάριτι παρέχεσθαι Χριστὸς τοῖς ἱεροῖς νόμοις!

**D**ivinam Majestatem à mortalibus  
sepe numero ladi neminem gen-  
tium fugit; postquam esse Deum  
& providentiam divinam dari,  
Regem esse DEUM, Monarcham perpetua  
Majestate gaudentem vere & recte existima-  
runt. In his gentiles Zelo pravo abrepti, cul-  
tum Omnipotentis peracturi statuas, ligna  
& lapides, sculptilia & metalla in Deos con-  
starunt, multaq; horribilia substituerunt, præ-  
ter & contra voluntatem DEI, à quâ si abi-  
sur in Cultu DEI, à DEO vero aberrari,  
Omnibus piis certum est. Erat iccirco deli-  
ctum ingens Contra Majestatem divinam, cum  
Numen altissimum sub aliis imaginibus co-  
lebatur. Hocq; perpetrato crimine qvò violaba-  
tur ipsa lex, secundum quam divina est colenda  
Majestas, idem scelus admissum erat, ac si quis

A

boni-



hominum in presentia, dictis aperis DELIN-  
 nec esse optimum, nec Maximum, neque Be-  
 atissimum, omnis mundi Regem supremum  
 assereret. Huc illud spectat quod Gentes  
 quam plurimæ magna contumelia Divinam  
 Majestatem affecere, dum risu & aliis affecti-  
 bus indecoris rebus divinis operam dederunt,  
 Ita illis ignotum in quo æterni DEI æterna  
 Sacro Sancta Majestas lædebatur. Non autem  
 Tibi, Exoptate & Benevole Lector ingratum  
 fore duco, si paulo fusius hæc exposuero crimina  
 quibus Regem æternum & sanctissimum varii  
 varie offenderunt: sit Ergo

## CAP. I.

**L**ere videtur in primis definitio-  
 nem exponere Majestatis: Quæ  
 summa dicitur in civitate Po-  
 testas, cujus actus, alienæ vo-  
 luntatis arbitrio non possunt in irritum  
 recidere. In hunc Omnium summum,  
 qui hac eminentia gaudet, à quo reli-  
 qua omnia pendent, quoque nihil vene-  
 ratione sanctius, nihil fastigio in rebus  
 hu-



3

humanis augustius habetur, singuli Civium totam vim & omnem potentiam translata[m] voluerunt, & ejus voluntati suam voluntatem sequi ipsos subjecerunt, agnoscuntq[ue] in eo tantam potestatem, summum Imperium, Dominium, Majestatem & quæ sunt cætera gloriosa & veneranda nomina quibus excellit. Cum vero à civibus qui ad Omnem Obedientiam summo Imperanti præstandam Obligantur, mos non geritur, sed si dicto Majestati audientes esse quasi detrectant, enorme scelus committitur, quod Crimen dicitur Læsæ Majestatis, & est factum quo Civis declarat non esse sibi amplius voluntatem obtemperandi Semideo, cui summum commissum est imperium civitatis, quod contra sacras esse pandectas, & in omnium illustrissimum locum ad Rom. 13. c. (quod Caput Christianorum Politicam dixit Philippus Melanchthon) impingere certum est. In hoc enim imperantium Potestas omni obsequio, honore & timore propitianda commen-

4  
datur. Cui non absimile est dictum  
Prov. 20. 2. Regem qui provocat, pec-  
cat in animam suam: hinc deducit idem,  
Magistratus esse venerandos non per si-  
mulationem sed ex animo, cum DEUS  
adsit Magistratibus, eosq; velit timore  
coli ita ut nunquã sinat elabi impunitos,  
qui lædunt Majestatem eorum. Nunc si  
ulterius legis hujus naturalis trans-  
gressionem & obligationis violationem  
in regno DEI potentiæ consideramus,  
Majestatem quidem à gentilibus esse  
vindicatam DEO sæpe videmus, sum-  
mum enim rerum arbitrium ipsos illi  
attribuisse peritis omnibus certo constat,  
sed quam sexcentis modis prophanarunt.  
Grandes subinde quidem errores ad-  
mittuntur contra leges civiles cum man-  
datum juste promulgatum violatur; at si  
DEUS ut præscribit, recte non colitur,  
maius quidem illud flagitium; multo  
maximum vero est negatio divinæ po-  
testatis tum confessio prava Regis su-  
premi, estq; hoc divinam Majestatem  
lædere.

5

CAP. II.

**R**e itaque non modo verum etiam impuris verbis & quod maximum est scriptis, magnam injuriam Divinæ Majestati impios attulisse Judæos notum est, ex famoso quodam libello, ubi alium conantur nefando ausu demonstrare à nostro JESU Messiam, quem annos circiter Centum & decem ante ipsum vixisse tradunt. Quam scelerate & præfracte Messiæ incarnationem factam pernegent notius est quam ut exponi debeat. Quin imo Nominis divini veneratio in superstitionem plane apud illos abiit. Sic enim vi nominis יְהוֹשֻׁעַ in descissam pedis cutem inclusi omnia sua miracula Christum edidisse deblaterant; verba illorum allegat ipse Buxt. Nonne Filius *Sadæ* exportavit magias ex Ægypto per cæsuras, quas fecerat in carne, Sanhed. Fol. 67. sanctam sic Deiparam Virginem מְרִיצָה & sanctissimum ejus Filium בְּרִיָּה spurium adpellant. DEUM ajunt  
A;
à cul-

à cultu Salvatoris nostri dehortatum  
 fuisse, sapius dum Israelitæ monentur,  
 ne colant Deos alienos dicentes אלהי  
 נכר per calculationem idem valere ac  
 יש 316 ideo י ו eraserunt & ex re-  
 liquis literis, diras in Christum ex co-  
 gitarunt. Moderni etiam Redempto-  
 rem mundi אלהי seductorem dicunt in  
 crucem sublatum & loco. ישו pro-  
 nunciant ישו ימח deleatur nomen  
 ejus. Contumeliâ itaque non Chri-  
 stum duntaxat, verum etiam omnes  
 qui Christo nomen suum dederunt affe-  
 cisse nemo nescit hostes hos DEI infen-  
 sissimos, unde voce hac detestabili illos  
 excipiunt Sched willkommen ישו vel Dia-  
 bole! Salve; Christianorum quoque a-  
 nimas in inferno esse dicunt & hunc in  
 modum apud illos אלהי נכר reputamur.  
 Diebus carnis suæ Dulcissimus Salvator  
 multoties lædebatur à Pharisæis miræ  
 superstitioni & hypocrisi devotis, dum  
 miracula ejus in pejorem sapius partem  
 exceperunt, & ut omnipotentiam ejus  
 negarunt, ita & illam, dæmone nimi-  
 rum

rum ex muto expulso, falso murmure, & convitiis prosciderunt: *ὅτι οὐκ ἐκ ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια, εἰ μὴ ἐν τῷ βεελζεβὺλ ἀρχόντῃ τῶν δαιμονίων* Matth. xii 24. Non per suam virtutem, sed per Dominum Accaronitarum, Myiodem, Jovem & alterius alicuius opera ejicit Dæmonem. Hæc & similia memorando animus horret & totus occupat mea membra tremor.

CAP. III.

**O**mnibus etiam ex historiarum cognitione planum est, quamplurimos Gentiles DEUM dixisse ipsum esse Mundum vel mundi animam. Quam indignè de DEO loquuti sint & senserint illi, qui otium & vacuum DEO attribuerunt ex eo constat, quod mundi generisqve humani curam & regimen eî ademerint? Omnipotentem esse utiqve etiam inficiantur, esseq; in ore illis semper: quod supra nos, nihil ad hos, interiora hæc non curat. Hinc adorant ut absentem: Aliis etiam offerunt quæ solus DEUS accipere debuit, ut holocau-

cau-



causta, & cultum exhibent, quo major  
 exhiberi nequit, uti sacrificium. Quin  
 etiam cum DEUM T.O.M. sub imagi-  
 ne hac vel illa, aliis nominibus, attri-  
 butis ritibusque colunt, faciunt quod fa-  
 ciendum non est. Turca nec minus in-  
 fensissimus DEI hostis est qui mandata  
 Divinæ Majestatis non exsequitur, est  
 ergo Civis inobediens & rebellis qui  
 multis modis disputat adversus eum,  
 quod verbis etiam in Epist. ad Cæsar.  
 Rom. venenosis exerit: Foret mihi  
 placitum perpetuo persequi DEUM  
 Tuum Crucifixum, cujus iram non ti-  
 meo, qui Te nec juvat nec defendere  
 neque te liberare potest e manibus meis;  
 in Epist. Ratisbonam missa impudens  
 idem scribit: Volumus videre an Tibi  
 sit auxiliaturus tuus Crucifixus JESUS  
 de quo creditis quod sit Salvator No-  
 ster, Imo tam incredibilem rem dicunt  
 de eo Tui Legatarii quod sit Tibi auxi-  
 lium laturus, cum tamen dudum sit  
 mortuus & semetipsum juvare nequeat,  
 siquidem nos ejus regnum, hæreditatem



& locum nativitatis ejus, terramque ipsam, jam ab aliquot seculis in nostram potestatem & dominium subdidimus. Fatetur quidem se in Terra Unum esse DEUM, invincibilem Imperatorem in universo orbe dominantem ac ab oriente usque ad occasum solis Cæsarem, sed à cujus potentia hoc sit se scire negat. Hæc vero verba Regiæ Majestatis Senator Dn. *Stum-Schild* in Orat. A. 1686 die 9 Nov. habet enucleate explicat: Etiam si, dicens, Rex aliquis toti mundo imperare & extendere septrum suum potuisset ab oriente ad occasum usq; omne tamen ejus imperium ac si nihil sit aestimari debet quando cum Omnipotenti DEO confertur, per quem Reges regnant &c. Hujus modi meditatio nulli curæ est Imperatori Turcico sed per se suamque propriam vim indubitato se dominari credit. Nos, ipsi in densissimis tenebris constituti, maxime caligare creduntis Deum suum Mahomet pro vero Deo colunt & quemcunque, qui alter: Constantinopoli succedit, *Patissab* vel *Sultano*

vocant & Dei Filium salutant. Unum  
 Deum colentes assidue dicunt: *La illab  
 illellab, Mehemmet, Jresui, Allab, Tamre Bir  
 Pegamber, bach.* h. e. Non est Deus nisi  
 unus, Mahomet autem Propheta ejus:  
 Creator unus & Prophetæ æquales.  
*Allab hecber* Deus unus verus. Se-  
 cundam & tertiam personam, quæ e-  
 jusdem essentia sunt cum Patre Pri-  
 ma persona Divinitatis constanter ne-  
 gant, & tamen antequam quicquam  
 edunt, orant, manus abluunt & abster-  
 gunt tria verba, quæ singulis Capitulis  
 Alchorani sunt præposita, repetunt: *Bi  
 sem Allabe El Rahmane, El Ruoabim,* In  
 nomine Dei, Misericordiæ, Spiritus e-  
 orum, quod Mysterium S. S. Trinitat.  
 Derui Gsielebi prælato cuidam expli-  
 cat Barth. Georg. & in Arab. ling. hoc  
 modo verti curavit: *Bi sem El Ab U Ben  
 U Ruoah Elchutz;* ad nostrum idioma: In  
 Nom. Pat. Filii. & S. Sancti. Divinam  
 Majestatem quam nos ut recti subditi  
 agnoscimus ipsam esse & rectorem o-  
 mnium rerum & præcepta hominibus  
 dare

dare & pœnas intransgressores statuere, in terram duos Angelos *Aroth* & *Maroth* nominatos ( qui corpora sunt inanimata & licet divinæ potentia subiciantur, præcepta tamen Dei & minas non intelligunt ) misisse perhibent, ut jus mortalibus administrarent, hæcque etiam admonitione ne cuiquam ad superos iter ostenderent, quod si facturi essent, præcipitarentur illi in puteum quendam catenis colligati, in eo æternum cruciandi, in quem forte lapsus in stellam est convertendus. Quibus sane Divina Majestas læditur & omnes veri Imitatores Christi offenduntur. Nescio etiam qua imprudentia, fiat, quod apud Christianos usu recepta est consuetudo prava ad unum quodque verbum leve futilis, & vana Dei appellatio. Christianos vero æquum est Passionem & Mortem Christi permagni æstimare, atque illam non ad aliquam admirationem cujusdam rei levis significandam, usurpare. Ad Crimen hocce etiam spectare patet, si quis signaculum Justitiæ fidei non recte usur-

usurparit, tum omnia vitia quæ contra divinam Majestatem committuntur, sed hæc persequi non licet, cum sint alterius fori & Philosophis sint abscondita.

CAP. IV.

**Q**uemvis vero Læsæ Majestatis convictum Lex Julia gladio, pœnæ loco feriendum jubet, simul cum publicatione omnium facultatum & memoriæ obliteratione. Hoc tempore membrorum distractione, illorumque lethali fractura puniuntur qui in hoc casu delinqvunt. Lædentem autem divinam Majestatem hæc apud priscos, mansit pœna: præcisio scilicet lingvæ dum verbis committebatur: si factio, flagellatio, deportatio, mors ipsa & quæ cætera. Hæc quæ pro modulo ingenii mei signata ut in ipsius gloriam vergant, Divinam Majestatem supplexero. Erit autem Omnibus Christianis & mihi in Ore hoc semper Davidicum: Doce me domine viam Justificationum tuarum, ut observê eam in finem.

GLORIA DEO!

*Pereximio atque Prestantissimo*

Dn. Respondenti,

JOHANNI O. BERG/

Dissertationem suam erudite con-  
scriptam,

*De Crimine Lese Majestatis Divinae,*  
pro virili defendenti,

GRATULATIO.

**N**ostri cum primus generis genitor fuit  
actus,  
Ut cuperet fieri DEUS orbis, mente rebelli;  
Duxit, si vetita decerperet arbore fructum,  
Sevoti fore damnatum. Labem sed eandem  
Intulit hoc ipso, toti quæ posteritati,  
Hoc usque ad tempus naturam vexat & urit;  
Omnes ut per eam fœdo ducamur amore  
Lædendi Majestatem quæcunque Regentis:  
Utque modis variis, sic semper mente nefanda.  
Hoc



Hoc crimen sit per quam atrox, & legibus exstat  
In iustis, & Tu præstans ratione Respondens  
Docta opera atque piis rationibus amplius affers.  
Hinc tua laus inter doctos primordia fausta  
Ipsa capit, sed progressus DEUS ille secundet,  
Cui Majestatem non lædendam decuit.

*Quam amico suo diutina familiaritate  
conjunctissimo reliquit*

*L. M. J.*

CONRADUS QUENSELL.

